

mo est, qui non sit Christianæ debitor disciplinae. Quia et si remota sit mysticæ legis asperitas, voluntariæ tamen observantiæ crevit utilitas. Ubi vox illa, « voluntariæ », non opponitur debitæ, alioqui secum ipse pugnaret, sed opponitur asperæ et servili, ut fusius in sequenti capite declarabimus. Unde subjungit ibidem sanctus Leo: « In præceptis moralibus nulla prioris Testamenti decreta reprobata, sed evangelico ministerio multa sunt aucta, ut perfectiora et lucidiora essent dantia salutem, quam promittentia Salvatorem ».

Possent ejusmodi testimonia adhuc multa proferri, sed non est opus, cum obvia sint, et legentibus passim occurrant. Id unum addam, nonnullos ex Patribus non solum obiter hoc dixisse, sed etiam studiose collegisse ex utroque testamento præcepta moralia, quibus ad perfectionem justitiæ informari debeat vita fidelium. Vide Clementem Alexandrin. lib. 3. Pædagogi, cap. 10. Cyprianum lib. III. ad Rufinum, Augustinum in Speculo, qui habetur tom. 9. non videtur esse Augustini. Simile opus meditabatur quoque sanctus Basilius, sed augustiis temporis exclusus, non collegit præcepta moralia, nisi ex Testamento novo, ut ipse testatur in præfatione moralium.

Nono, probatur evidentissima ratione. Nam vel homo Christianus et justus peccat, cum moralia legis veteris præcepta transgreditur, vel non peccat. Si peccat, igitur non est liber ab ejus legis observatione. Quid enim est peccatum, nisi prævaricatio legis? non autem prævaricatur legem, qui non habet legem. Nam ubi non est lex, nec prævaricatio; proinde si lex illa moralis Testamenti veteris non est homini Christiano et justificato vere lex, non peccat, dum eam non servat: vel si peccat, igitur est illi vere lex: Denique fingi non potest, quomodo peccet, qui liber sit a lege. Quod si non peccat, igitur falsum est quod sectarii omnes dicunt, omnia opera hominis justii esse peccata mortalia. Item si non peccat, igitur vera est Libertinorum hæresis, quod nihil sit peccatum, nisi falsa imaginatio; et laxandæ sunt omnibus habenæ, ut unicuique liceat quod ei libet. Ista videlicet libertas est christiana, quam sectarii frædicant, libertas omnia flagitia sine scrupulo perpetrandi, libertas carnis, non spiritus, filiorum diaboli, non filiorum Dei, libertas denique omni servitute miserior.

Dicent fortasse, non ita se intelligere libertatem a lege quasi prævaricatio legis non sit peccatum, sed quod fidelibus ea prævaricatio non imputetur. Hunc enim sensum videntur efficere verba Lutheri in lib. de votis Monasticis, ubi dicit, in eo consistere libertatem, quod pia conscientia sit libera ab omnibus operibus, non quidem faciendis, sed accusantibus et defendentibus, quia nulla sunt tam mala, quæ possint illum accusare et damnare, nulla tam bona, quæ eum queant defendere et justificare. Et in 2 cap. ad Galat. ubi agnoscit hominem peccare, sed dicit, nihil sibi esse cum lege, quia non potest eum damnare. Eundem sensum faciunt verba Calvinii lib. III. Institut. cap. 19. §. 4. et 7. ubi dicit, libertatem in eo consistere, ut faciamus opera non tanquam examinanda ad regulam legis, sed tanquam acceptanda qualiacumque sint.

At si ita dixerint, fateri debent, vere et proprie legem ad se pertinere, ejusque jugo se quoque esse subjectos: nam si vere peccant, licet peccatum eis non imputetur, vere prævaricantur legem. Proinde vere legem habent. Non enim vere prævaricatores dici possent, nisi legem haberent; neque vere peccarent, nisi legem prævaricaretur.

Præterea quæro, utrum prævaricatio legis, ut exempli gratia, homicidium, adulterium, perjurium, cum fide simul habitare possit, vel non possit: nam si non potest, igitur prævaricatio illa non solum est peccatum, sed imputatur. Quomodo enim non imputatur, si excutit fidem? an etiam infidelibus prævaricatio non imputatur? si vero potest prævaricatio legis habitare cum fide; ut satis aperte indicat Lutherus, cum dicit in lib. de Captiv. Babylonica, cap. de Baptismo, nulla peccata nocere posse baptizato, quia si stet, vel redeat fides, in momento absorbentur; ubi significat posse stare fidem. Et lib. de votis Monasticis, ubi dicit, credentis nulla esse tam mala opera, quæ eum accusare vel damnare possint. Igitur non sunt necessaria opera bona, etiam ut fructus et signa fidei? igitur nulla est omnino ratio, cur sint scelera et flagitia fugienda, nisi forte ex metu supplicii temporalis? Vides ut semper ad id revolvatur error sectariorum, ut aditum patefaciant vitiis et peccatis, et tamen passim vociferantur, sibi magnam a Catholicis injuriam fieri, quasi negligant opera bona.

## CAPUT VI.

Asseritur vera libertas Christiana, et inde quoque probatur necessitas operum bonorum.

Vera igitur Christiana libertas ex Evangelicis, et Apostolicis litteris, tribus in rebus sita esse cognoscitur, in libertate a peccato et morte, in libertate a jugo legis cæremonialis et judicialis Hebræorum, et a dominio, et reatu legis naturalis atque moralis.

De libertate a peccato et morte, quæ ex peccato sequitur, loquitur Dominus Joan. VIII. Si vos Filius liberaverit, vere liberi eritis. Nam paulo ante dixerat: Qui facit peccatum, servus est peccati. De eadem loquitur Apostolus ad Roman. VI. Cum servi essetis peccati, liberi fuistis justitiæ; nunc autem liberati a peccato, servi autem facti Deo, habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem vero vitam æternam (1). Et cap. 7. idem Apostolus hoc rursus confirmat similitudine mulieris, quæ per mortem viri liberatur a servitute ejusdem viri, ut possit libere cum alio viro conjungi. Tres enim personæ in ea similitudine introducuntur, persona mulieris, persona viri morientis, et persona alterius viri, cui rursus mulier nubit.

Applicando autem similitudinem, per mulierem intelligit Apostolus homines baptizatos, et justificados: per virum, cui rursus mulier nubit, intelligit Christum, per virum morientem, a quo mulier liberatur, intelligit peccatum, et mortem: sed reddita est obscura sententia Apostolica, quoniam cum debuisset dicere, peccatum esse mortuum, ipse contra dixit, nos mortificatos esse per mortem Christi. Nam in idem recidit, sive nos moriamur peccato, sive peccatum moriatur nobis. Obscurior etiam sententia reddita est, quoniam cum debuisset saltem dicere, nos mortificatos esse peccato, vel morti, dixit, nos mortificatos esse legi, quoniam lex (ut infra explicat) ex occasione peccatum fovebat et augebat, et nos ipsi peccato, ut conjugem viro, subjectos tenebat.

Quod autem intentio Apostoli fuerit dicere, nos per Christi mortem liberatos esse a peccato, et in ea similitudine peccatum tenere locum viri morientis, perspicuum est ex illis

verbis: Itaque fratres mei, et vos mortificati estis legi per corpus Christi, ut sitis alterius, qui ex mortuis resurrexit, ut fructificemus Deo; cum enim in carne essemus, passionibus, quæ per legem erant, operabantur in membris nostris, ut fructificaremus morti. Nunc autem soluti sumus a lege mortis, in qua detinebamur, ita ut serviamus in novitate spiritus, et non in vetustate litteræ. Ubi sicut ex eo, quod dicit, ut fructificemus Deo, intelligimus, Deum esse secundum virum cui nubit anima, et cui fructificat, proles bonorum operum pariendo; sic etiam ex eo, quod dicit, ut fructificaremus morti, intelligimus mortem esse priorem virum cui copulata erat anima et cui fructificabat, proles malorum operum pariendo. Vide sanctum Augustinum copiose hunc locum explicantem in lib. LXXXIII. quæst. 66. et lib. xv. contra Faustum, cap. 8. ubi monet, hominem baptizatum dici mortificatum legi, non quia sit mortuus legis justitiæ, sed legis reatu et prævaricationi, quam lex per litteram, cum gratia defuit, faciebat.

Ex hac prima libertate colligimus, adversarios graviter errare, cum dicunt, peccatum in hominibus justificatis semper vivere, sed non imputari. Nam si ita esset, non essemus vere et proprie liberati, neque essemus peccato vere mortui, sed adhuc fructificaremus morti, et serviremus in vetustate litteræ, non in novitate spiritus.

Jam vero de libertate secunda, quæ est ab oneribus legis cæremonialis et judicialis, exstant etiam apertissima testimonia. Hoc enim est, quod clamat Apostolus Petrus Actor. xv. Quid tentatis imponere jugum super cervices discipulorum, quod nec nos, nec patres nostri portare potuimus. Et Apostolus Paulus ad Galat. II. Nec Titus, inquit, compulsus est circumcidi, cum esset gentilis. Sed propter falsos fratres, qui subintroierunt explorare libertatem nostram, quam habemus in Christo Jesu, ut nos in servitute redigerint. Et cap. IV: Quomodo iterum convertimini ad infirma, et egena elementa, quibus denuo servire vultis. Et cap. V: State et nolite iterum jugo servitutis contineri. Ecce ego Paulus dico vobis, quoniam si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit. Et ad Hebr. VII: Translato enim sacerdotio necesse est, ut et legis translatio fiat. Et ibidem: Reprobatio fit præcedentis mandati propter infirmitatem ejus et inutilitatem. Nihil enim ad perfectum adduxit

(1) Joan. VIII, 36; ibid. 34; Rom. VI, 20.

lex (1). Et cap. 9. vocantur cæremoniæ legis, justitiæ carnis usque ad tempus correctionis impositæ. Neque de hac libertate ulla jam dubitatio est.

De tertia libertate, quæ est a dominio legis divinæ moralis, id est, per quam fit, ut lex nobis non dominetur tamquam servis imminens flagello, et timorem semper incutiens, sed ut imperet libris, et liberaliter obtemperare volentibus: non adimendo legi vim obligandi, sed addendo hominibus charitatem illam libenter implendi, loquitur idem Apostolus cum ait ad Roman. VI: *Non estis sub lege, sed sub gratia*, II ad Corinth. III. *Ubi spiritus Domini, ibi libertas*, ad Galat. V. *Si spiritu ducimini, non estis sub lege*. Et I Timoth. I. *Justo non est lex posita, sed injustis et non subditis* (2). Nam ut S. Augustinus observat in explicatione primi psalmi, aliud est hominem esse sub lege aliud hominem esse in lege. Sub lege enim dicitur esse qui a lege agitur tamquam servus; in lege est, qui secundum legem agit, ut liber. Quare Apostolus I Corinth. IX. dicitur factum esse omnia omnibus, iis, qui sub lege sunt, quasi esset sub lege, cum vere non esset, sub lege, iis qui sine lege sunt, quasi sine lege esset, cum tamen sine lege Dei non esset, sed in lege esset Christi. Ubi negat se esse sub lege, et affirmat esse in lege.

Unde in libro de continentia, cap. 3. idem Augustinus ait: « Non sumus sub lege bonum quidem jubente, non tamen dante, sed sumus sub gratia, quæ id quod lex jubet, faciens nos amare, potest liberis imperare ». Et in lib. de natura et gratia, cap. 37. « Si spiritu, inquit, ducimini, non estis sub lege, utique lege quæ timorem incutit, non tribuit charitatem ». Et in libro de spiritu et littera, cap. 10. explicat illud: « Justo non est lex posita », de lege terrente et minante, qua justus non indigent, sed injusti. Quod etiam pulchre explicat in eadem sententiam S. Ambrosius in Psalm. XXXVI. tractans illud: *Lex Dei ejus in corde ipsius*. Ubi dicit, lege scriptam fuisse in tabulis lapideis propter injustos, de quorum cordibus lex Dei deleri jam cœperat; juxta illud ad Galat. III. *Lex propter transgressionem posita est* (3). Ut videlicet transgressores eam videre cogentur in tabulis, qui non amplius eam videbant

(1) Act. XV, 40; Gal. II, 3; ibid. IV, 9; ibid. V, 1; Heb. VII, 12. — (2) Rom. VI, 14; II Cor. III, 17; Gal. V, 18; I Tim. I, 9. — (3) Psal. XXXVI, 31; Gal. III, 19. — (4) Exod. XX, 2; Luc. XVI, 16. — (5) Math. V, 17. — (6) Rom. III, 31.

in cordibus. Nam justis non est necessaria lex scripta in tabulis, cum eam diligenter servant in cordibus. Lex enim Dei ejus in corde ipsius.

Addunt aliqui ex catholicis, in quibus est Dominicus a Soto lib. II. de Justitia et Jure quæst. 5. art. 4. non solum christianos liberatos esse a lege cæremoniali, et a reatu, et terrore legis moralis, sed etiam a tota lege scripta in libris Mosis, non quod non teneamur servare legem illam Mosis, ut est naturalis, et quatenus in Evangelio, et epistolis Apostolorum renovatur, sed ut est ab ipso Mose scripta. Non enim Moses nos jam obligare potest, sed solus Christus: Christiani enim sumus, non Judæi, et videtur id satis efficaciter probari primo, ex ipso principio Decalogi, ut scribitur Exodi XX. *Ego sum Deus tuus, qui eduaxi te de terra Ægypti*. Nos enim numquam fuimus servi in Ægypto. Secundo ex illo Lucae XVI. *Lex et Prophetæ usque ad Joannem* (4). Tertio ex Apostolo, qui ad Rom. VII. ad Hebr. VII. et ad Galat. III. videtur absolute dicere totam legem Mosis esse sublatam.

Cæterum nos verius putamus, legem moralem, etiam ut est data per Mosem et per Prophetas, atque ut est in libris veteris Testamenti scripta, vere obligare Christianos. Nam quod Dominus ait, Matth. V. *Non veni legem solvere, sed adimplere* (5), intelligitur de lege morali, ut patet ex toto illo capite. Adimplere autem non est (ut Dominicus a Soto ait) adducere tempus, quo lex illa cessare debet, id est, per adventum suum illi finem imponere, quandoquidem usque ad Christi adventum duratura erat. Non (inquam) id est, eo loco adimplere, sed perficere et stabilire remotis corruptelis, quæ per falsas interpretationes illi accesserant. Adimplevit enim Christus legem de cavendo homicidio, quia docuit cavendam esse etiam iram, quæ est via ad homicidium.

Præterea S. Paulus ad Rom. III. cum ait: *Numquid legem destruimus per fidem? absit, sed legem statuimus* (6). Loquitur de lege Mosis, illa enim in Scripturis intelligitur cum absolute lex nominatur.

Adhæc Apostoli semper allegant verba Testamenti veteris, cum præcepta moralia servanda esse docent, ut patet ad Rom. XIII.

*Non adulterabis, non occides, non furaberis, non falsum testimonium dices, non concupisces, et si quod est aliud mandatum etc.* Ad Ephes. VI. *Honora patrem et matrem, quod est mandatum primum in promissione*. Jacobi II. *Si tamen legem perficitis regalem secundum Scripturas, Diliges proximum tuum sicut te ipsum etc.* (1). At cur Apostoli hoc facerent, si testimonia illa ad Christianos non pertinerent?

Sane mirum est, cur Dominicus a Soto loco notato scripserit, nullum testimonium ex libris veteris Testamenti quoad vim obligandi adduci posse Christianis. Nam non solum Apostoli, sed etiam Patres omnes, immo et Theologi omnes testimonia veteris Testamenti allegant ad probanda præcepta moralia, ut verbi gratia ad probandum usuras esse prohibitas, quis non allegat Psal. XIV. et Ezech. cap. 18.

Adhæc S. Augustinus lib. X. contra Faustum cap. 2. disertis verbis dicit, servari a Christianis præcepta vitæ ex ipsis libris Testamenti veteris. Et tam ipse, quam alii Patres citati capite superiore crebro repetunt, præcepta moralia data Judæis obligare etiam Christianos. Et nonne in Catechismis, quibus omnis Christianorum Ecclesia utitur, scribuntur decem præcepta ad verbum deprompta ex cap. 20. Exodi? Denique lex moralis Testamenti veteris, non tantum divina est, sed etiam spiritualis, sancta, justa, bona, ut dicitur ad Rom. VII. et præterea immaculata, convertens animas, et illuminans oculos, ut dicitur in Psal. XVIII. denique liber mandatorum Dei, et lex, quæ est in æternum, ut dicitur Baruch IV. quare nulla est ratio, cur non conveniat Christianis, vel cur abrogari debuerit a Christo.

Neque contraria argumenta convincunt, sed potius sententiam nostram confirmare videntur. Nam (quod attinet ad illud) *Ego sum Deus tuus, qui eduaxi te de terra Ægypti*, nobis etiam convenit, quippe qui fuimus in Ægypto, et ex Ægypto liberati sumus in personis patrum nostrorum. Nam qui ex gentilitate conversi sumus ad Deum, in radicem bonæ olivæ inserti sumus, id est, ad populum Patriarcharum adjuncti, ut dicit Apostolus ad Rom. XI. non enim populus Dei veteris Testamenti extinctus est, sed crevit ex adjunctione gentilium; unde idem Apostolus I Corinth. X. alloquens Christianos ex gentilibus, dicit: *Nolo vos ignorare fratres,*

*quoniam patres nostri omnes sub nube fuerunt, et omnes mare transierunt, etc.* Itaque nos sumus Abrahamæ filii, quos ei Deus promisit, cum ait Genes. XVII. *Patrem multarum gentium constitui te* (2). De qua re vide plura apud Apostolum ad Rom. III. et IV. et ad Galat. IV. et apud Augustinum in epist. 200. ad Asellicum. Ubi deducit ex Scripturis, Judæos, qui secundum carnem ex Sara, et Israel descendunt, et tamen increduli sunt, secundum spiritum esse ramos fractos, et ad Agar, et Esau pertinere: nos autem qui secundum carnem Judæi non sumus, et tamen in Christum credimus, esse veros Judæos in spiritum, et ad Saram, et Israel pertinere. Et ibidem dicit, omnia præcepta legis veteris moralia, a nobis, qui jam sumus populus Dei, sine dubitatione esse servanda. Præterea si non fuimus in Ægypto captivi, fuimus tamen in potestate diaboli, quam servitus illa significabat, et si liberati non sumus ab oneribus duris luti et laterum, liberati tamen sumus ab oneribus longe durioribus peccatorum. Itaque recte nobis quoque Deus dicit: *Ego sum Deus tuus, non habebis Deos alienos coram me, etc.*

Ad illud: *Lex et Prophetæ usque ad Joannem*, responsio in promptu est. Nam loquitur Dominus de lege prophetante per figuras, non de lege instituyente mores hominum. Quod apertius habetur Matthæi XI. *Omnes Prophetæ et lex usque ad Joannem prophetaverunt* (3), id est, omnes prædictiones futuri Messiae, sive per verba Prophetarum, sive per figuras et cæremonias legis non ultra Joannem extenduntur, qui fuit novissimus Prophetarum. Itaque locus iste de cæremoniali lege non de morali intelligi debet.

Porro ad Rom. VII. jam supra ostendimus in hujus capituli initio, non abrogari legem, sed reatum legis. Quod vel inde confirmari potest, quod in eodem cap. VII. idem Apostolus ait: *Condelector legi secundum interiorem hominem*. Item: *Consentio legi, quia bona est*. Item: *Ego ipse mente servio legi Dei* (4). Certe si serviebat legi Dei, non erat mortuus legi, nec lex erat illi mortua, quoad obligationem et debitum implendi. Quare initio cap. VIII. dicit, lex spiritus vitæ liberavit me a lege peccati et mortis, id est, lex in corde scripta, quæ est charitas, liberavit me a lege scripta in tabulis, quæ sine spiritu littera erat occidens. Liberavit autem, quia effecit (ut

(1) Rom. XIII, 9; Ep. VI, 1; Jacob. II, 8. — (2) I Cor. X, 4; Gen. XVII, 5. — (3) Mat. XI, 13. — (4) Rom. VII, 22

mox idem Apostolus subjungit) ut justificatio legis (scriptæ nimirum in tabulis) impleretur in nobis.

In locis autem ad Galat. III. et ad Hebr. VII. sermo est de lege cæremoniali, ut supra dictum est. Vide quæ diximus cap. II. in explicatione quinti discriminis legis et Evangelii. Habemus igitur ex vera Christiana libertate colligi legis custodiam et opera bona homini Christiano esse maxime necessaria.

## CAPUT VII.

*Probatur ex Scripturis necessitas operum ad salutem.*

Sed jam propius ad quæstionem ipsam de necessitate operum accedamus.

Adversarii in eo conveniunt, ut opera bona non sint necessaria ad salutem, nisi necessitate præsentiae. Cujus propositionis hic sensus est, ut opera bona fieri debeant, quoniam alioqui fides non esset viva, nec vera, nisi fructus bonos faceret, quomodo ignis non est ignis, nisi calefaciat; tamen opera bona non habeant ullam relationem ad salutem, quasi sint merita, causæ, conditiones, etc. In quo distingui dicunt fidem ab operibus, quoniam fides habet relationem ad salutem, quia illam apprehendit, et ideo necessaria dicitur ad salutem: opera vero nullam omnino relationem habent, et ideo sunt quidem necessaria, sed non ad salutem.

Nos contra dicimus, opera bona homini justo esse necessaria ad salutem, non solum ratione præsentiae, sed etiam ratione efficientiæ, quoniam efficiunt salutem, et sine ipsis sola fides non efficit salutem. Intelligimus autem hoc esse necessarium hominibus rationis usum habentibus: et qui tamdiu post adeptam remissionis gratiam supervivant, donec occasio implendæ legis occurrat. Non enim negamus, quin infantes, et etiam adulti recens baptizati salventur, si continuo ex hac vita decedant. Censentur enim totam legem implere, qui post justificationem adeptam legis præcepta non violarunt, et qui charitatem, quæ est legis plenitudo saltem habitualiter in corde gerunt.

Primum igitur probatur necessitas operum ad salutem ex iis, quæ dicta sunt de discrimine legis et Evangelii, et de libertate Chri-

stiana. Nam si promissio vitæ æternæ est conditionata, ut in I. cap. probavimus, certe necessarium est implere conditionem, si quis salvus fieri velit. Et si justus non est liber ab obligatione divinæ legis, certe nisi eam impleat non salvabitur.

Deinde probatur specialibus testimoniis. Primum testimonium ad Hebr. X. *Patientia vobis necessaria est, ut facientes voluntatem Dei reportetis promissionem* (1). Hic habemus in primis modum loquendi contrarium sententiæ Lutheranorum rigidorum, qui non admittunt propter periculum erroris (ut ipsi somniant) opera esse necessaria ad salutem. Nam patientia opus quoddam est, cum sit actus virtutis a fide distinctæ, immo opus perfectum juxta Jacobum cap. I. et verbis disertis necessaria prædicatur; et additur ad quid sit necessaria, *ut reportetis (inquit) promissionem*. Deinde, habemus etiam hoc loco patientiam esse necessariam, non solum ratione præsentiae, sed etiam relationis ad salutem. Id enim significat illud, *ut reportetis promissionem*. Nam si tantum necessaria esset ratione præsentiae, satis fuisset dicere, patientia vobis necessaria est, sed cum additur ratio necessitatis, et dicitur, *ut reportetis promissionem*, aperte significatur relatio aliqua patientiæ ad acquisitionem promissionis. Id enim videmus in omnibus similibus loquendi formis: cibus est necessarius, ut nutriamur; aer est necessarius, ut respiremus; vestis est necessaria, ne frigeamus. Ubi semper relatio causæ alicujus exprimitur.

Secundum testimonium I ad Timoth. II. *Mulier seducta in prævaricatione fuit, salvabitur autem per filiorum generationem, si permanserit in fide, et dilectione et sanctificatione cum sobrietate* (2). Quo loco perseverantia non in sola fide, sed in fide, dilectione, sanctificatione et sobrietate ponitur necessaria ad salutem, ut conditio quædam, sine qua mulier salvari non potest.

Tertium testimonium ad Philippen. II. *Cum metu et tremore vestram salutem operamini* (3). Perfecto si actiones bonæ salutem operantur, non sunt necessariæ solum ratione præsentiae, sed etiam ratione efficientiæ.

Quartum testimonium II ad Corinth. VII. *Tristitia quæ secundum Deum est, poenitentiam in salutem stabilem operatur* (4). Hic etiam

videmus rationem efficientiæ. Nam tristitia poenitentiam, poenitentia salutem stabilem operatur. Tristitia enim vere efficit in homine poenitentiam, id est, detestationem peccati, et propositum peccata vitandi: igitur ipsa etiam poenitentia vere efficit stabilem salutem. Proinde non est necessaria solum ratione præsentiae, sed etiam causæ.

Quintum testimonium II ad Corinth. IV. *Id enim quod in præsentem est momentaneum, et leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternæ gloriæ pondus operatur in nobis* (4). Quid apertius dici potuit? si patientia tribulationis operatur pondus æternæ gloriæ: quis negare potest relationem aliquam esse inter patientiam et salutem? nisi forte operari salutem, non sit aliquid operari, vel nulla consequatur ex operatione relatio.

Sextum testimonium Rom. VIII. *Si spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis* (2). Ubi mortificationem carnalium concupiscentiarum necessariam esse ad salutem, ut conditionem et causam, ac per hoc relationem habere ad ipsam salutem, primum demonstrat particula conditionalis, « si », deinde antithesis. Nam paulo ante dixerat, *si secundum carnem vixeritis, moriemini*. Neque enim dubitari potest, quin secundum carnem vivere sit vera causa mortis æternæ. *Stipendium enim peccati mors*, ad Rom. VI. Quod autem additur, *Gratia autem Deo vita æterna* (3), non significat, vitam æternam non esse stipendium justitiæ, sed ipsam justitiam non haberi, nisi ex gratia Dei, ut in libro de Meritis operum fusius declarabimus.

Septimum testimonium ad Rom. VIII. *Si tamen compatimur, ut et conglorificemur. Existimo enim, quia non sunt condignæ passionibus hujus temporis ad futuram gloriam* (4). Hic vero non solum conditionalis particula indicat causam, sed etiam ratio addita de excessu gloriæ ad passionem. Nam si nullam haberet patientia tribulationum relationem ad salutem, frustra Paulus diceret: *Existimo enim, quia non sunt condignæ, etc.* Ista enim collatio passionum ad gloriam et excessus unius ad alterum, manifeste declarat, esse aliquam vim in opere patientiæ ad acquirendam illam gloriam, tametsi absolute longe major sit futura illa gloria, quam sit præsens tribulatio.

Octavum testimonium ad Rom. X. *Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem* (5). Videmus hoc loco non sufficere fidem ad salutem, quæ vera et integra in corde esse non potest, nisi accesserit etiam externa confessio. Mirum est autem quanta sit in adversariis audacia, et quid non moliantur, ut evadant retia veritatis. Nam, ut scribitur in Colloquio Altenburgensi Illyricianus quidam, timens ne hoc testimonio stabiliretur necessitas operum ad salutem, pro, « ad salutem », posuit, « de salute », ut sensus sit, hominem corde credere ad justitiam obtinendam; ore autem confiteri de adepta salute. Sed refellit hanc depravationem Apostolus ipse, cum ait: *Si enim confessus fueris Dominum Jesum, et in corde tuo credideris, quoniam Deus eum suscitavit a mortuis, salvus eris*. Ubi quod confitemur, non est, salutem nos esse adeptos, sed Jesum esse Filium Dei. Respexit enim Paulus ad verba Domini Matth. X. *Qui me confessus fuerit, confitebor et ego eum coram Patre meo: et qui me negaverit coram hominibus, negabo et eum coram Patre meo* (6).

Nonum testimonium Matth. XXV. *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi. Esurivi enim, et dedistis mihi manducare, etc.* (7). Certe reddita ratio luculenter ostendit, opera bona esse aliquo modo causam æternæ salutis. Respondent quidem adversarii, opera bona a Domino commendari, ut fructus et signa veræ fidei. Sed non oportet verba Domini expressa dimittere, et alia, quæ ipse non dixit, et quæ in quæstione sunt posita aliunde accersere. Quod enim opera sint necessario cum vera fide conjuncta, et proinde sint ejus signa et testimonia infallibilia, Dominus hoc loco non dicit, ubi fidei ne meminit quidem: et res (ut diximus) in quæstione posita est. At quod propter opera bona datur regnum cælorum, disertis verbis hoc loco Scriptura testatur, nec solum hoc loco, sed etiam in aliis plurimis, ut in sequenti libro probabimus.

Decimum testimonium Jacob I. *Qui autem perspexerit in legem perfectam libertatis, et permanserit in ea, non auditor obliviosus factus, sed factor operis, hic beatus in facto suo erit* (8). At quo modo quæso beatus in facto suo, si facta nullam habent relationem ad beati-

(1) Heb. X, 36. — (2) I Tim. II, 14. — (3) Phil. II, 12. — (4) II Cor. VII, 10.

(1) II Cor. IV, 17. — (2) Rom. VIII, 13. — (3) Rom. VI, 23. — (4) Rom. VIII, 17. — (5) Rom. X, 10. — (6) Math. X, 22. — (7) Math. XXV, 34. — (8) Jacob I, 25.